Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1391
Quelle:
Copyright:

in *Capistrano triumphante Sect.* 18. c. 6. p. 367. qui tamen *Joh. Borotinum* autorem facit e perantiquo, ut ait, Codice Conventus *Javiensis*.

3) Epistolam apologeticam, nescio ad quem Adversariorum, *Joh. Capistrani*, quae incipit: *Frater Johannes de capistrano Ordinis minorum minimus et indignus cum spiritu salutari gratiam sempiterni luminis. Conuenit strenuis pugilibus* &c. Graviter in ea conqueritur contra Detractores suos et praecipue *Joh. Rokyzanam* spargentem, se dixisse: *quod omnes qui communicant vel communicauerunt sub vtraque specie dampnati sunt et dampnabuntur*, et Propositiones VI. a se dictas repetit et stabilit addendo in fine: *Hic sequitur prolixus tractatus, quem in olomuncz et brunne composui et intendo destinare sacre vniuersitati Wienn. cum totum composuero.* Difficile est dispicere, quem *Tractatum* velit *Johannes* ex iis, quos enumerat *Waddingus* in *Bibl. Ord. Min.* De ipsa autem Epistola silent omnes, quos inspexi, nisi quod *Waddingus Annal.* T. *cit.* p. 95. generatim notat, *Johannem* criminatoribus respondisse acutis et eruditis Epistolis.

4) *Hic sequitur alia epistola magistri Johannis Woratin.* Dedi eam *Vol.* I. P. 3. *col.* 1588. *Optans ante omnia tuam proximorumque tuorum salutem* &c. Sed ibi *Rokyzanae* tribuitur, quod parum refert; ait enim Annalista *cit.* p. 94. Tam *Rokyzanae* quam *Borotinii* extant amarulentae in *Capistranum* literae. Malis tamen in hac materia audire loquentem priorem Theologum, quam posteriorem Astrologum et Medicum. Confer *Vol.* meum I. P. 2. *col.* 1611.

5) Responsum *Capistrani*, quod incipit: *Scribis te optare Johannes Woratin meam proximorumque meorum salutem* &c. et relatum est a me *Vol.* I. P. 2. *col.* 1589. ubi ineditum dixi; quaesiveram enim apud *Herman. cit.* sub nomine *Rokyzanae*, qui tamen p. 368. *Borotinio* tribuit, ut praesens Codex. Defuere *Hermanno* notae diplomaticae, quae in Exemplo nostro sunt: *Ex brunna 2° die septembr. anno L. I^mo.*

6) Epistola *Joh. Rokyzanae* ad *Joh. Capistranum*, cujus initium: *Fama discurrente frequenter audiuimus* &c. prout extat apud *Cochlaeum Hist. Hussit.* L. 10. in *Annalib. O. M.* T. *cit.* p. 92. apud *Herman. cit.* p. 345. et nobis *Vol.* I. P. 2. *col.* 1589. Verum in praesenti Exemplo, quem nullus habet, Codicillus additur in hunc sensum: *Sequens scriptum breui papiro exaratum manu propria transmitto. Fama perstrepens in ipsa uolat pragensi ciuitate vos dicere in contemptum fidelium bohemorum, quod laici specie sub vtraque communicantes eterni ignis iudicio torquebuntur.* Ab exordio Turbarum *Hussiticarum* factionis Duces contemni et infamari *Bohemiam* crepabant, bene gnari, quam efficax hic sit in Populo generoso stimulus.

7)